



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro
singulis Anni diebus**

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 2. De pietate erga S. Angelum Custodem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](#)

4 Considerationes Christianæ.

October.

mus in posterum eas ad mortificationem nostram,
& pœnitentiam agendam adhibere.

Omnis Creatura ingemiscit, & parturit
usq; ad huc. Vanitati enim Creatura subje-
cta est non volens. Rom. 8. v. 22.

Cælum, & terra, & omnia, quæ in eis
sunt, undique mihi dicunt, ut amem te.
Aug. Confess. c. 10.

DIES II.

De Pietate erga S. Angelum
Custodem.

I.

Cum Ecclesia festam diem S. Angeli tu-
telaris celebret, æquum est, ut easdem
cum illa cogitationes concipiamus, o-
mnésque vires, ejus honori impendamus.
Habere nos oportet, inquit S. Bernardus,
magnam reverentiam in ipsis præsentia. Ad
id ejus excellentia, dignitas, & sanctitas
nos obligant. Majestas Regum tantam
nobis imprimit observantiam, ut vel sola
eorum præsentia nos in officio contineat.
Ille, inquit Servator, qui in cælo minimus
est, major est quovis, qui in terra maximus
est. Angelorum postremus maximis or-
bis

bis Regibus sublimior est : quantam igitur October.
illi reverentiam exhibere nos decet , si
cogitemus, eum semper Deo simul , & no-
bis adesse præsentem ? si animi tui motus
ad indignum quoddam facinus te impellit,
imaginare tibi , inquietat sapientum qui-
dam, virum magnæ virtutis , & authorita-
ris tibi adstare: hæc sola cogitatio te coér-
cebit. Consilium bonum hoc est ; effica-
cius tamen foret, si imaginatio mea virum
istum verè mihi præsentem fisteret. Sed
Angelus Custodiendo mihi deputatus ,
Spiritus ille tam purus mihi verè præfens
adstat : qui igitur coram ipso agere ausim,
quod coram omnium mortalium postremo
non auderem ? credimusne , eum tanto
contemprui non indignari ? an non mala
inde secura formidamus ?

II. Obsequia , quæ nobis Angelus no-
ster tutelaris præstat, obligant nos ad gra-
tam, continuamque beneficiorum memo-
riam. Devotionem pro benevolentia. Quan-
tam is nostri curam non gerit, quæ officia
nobis non exhibet ? cælum relinquit , ut
nobiscum sit : hic exilij locus, carcer hic ,
ei palatum sit , & Paradisus cælestis , id-
circo , quòd ipsi occasionem nobis ser-
viendi præbeat. A sexcentis periculis
nos tuerit; è mille malis nos eripit, omnis

6 *Considerationes Christianæ.*

October.

generis bona nobis accersit, preces nostras
 Domino offert, & ab ipso gratias ad nos
 defert. Adversus hostes nostros visibiles,
 & non visibiles nos defendit, manibus suis
 nos portat, lapsus nostros impedit; & si
 post omnes ejus solicitudines cadimus, ad
 denuò surgendum nos juvat; Deum sem-
 per intuetur, neque oculos à nobis avertit;
 cùm Deo plenissimus eodem se occupet,
 eoque fruatur, non minùs tamen se nobis
 impendit, non minùs nobis attendit; gres-
 sus nostros observat, & dirigit, ab errori-
 bus nos avocat; & postquam toto vitæ
 tempore nos direxit, in mortis etiam mo-
 mento nobis assistit, ut, quemadmodum
 socius nostrorum fuit laborum, sic & nos
 felicitatis ejus consortes fiamus. Quàm
 gratum ergo animum pro tanto beneficio-
 rum numero ei exhibere debemus? annon
 eosdem animi sensus concipere debemus,
 quos Tobias erga Angelum Raphaëlem;
 cùm illi non minùs obstricti simus?

III. Ipsius jussis submittere nos penitus
 debemus, perfectè dociles nos exhibere i-
 psius admonitionibus, magnam habere
 confidentiam in ipsius protectione. Fidu-
 ciā pro custodia. Si amicum haberemus
 potentem, prudentem, fidum, commodo-
 rum nostrorum summopere studiosum, an
 non

non in miserijs nostris ad ipsum confuge. October.
remus? an non in dubijs nostris eum con-
suleremus? an non ejus consilia, ceu leges
amplectemur? an non obligatos nos ei
crederemus? an non cum gaudio ei
obediremus? Angelus noster tutelaris fi-
dus ille amicus est, & omnibus hisce doti-
bus liberalissimè instructus. An non igi-
tur eodem modo nos erga ipsum gerere de-
bemus? si bonum aliquem motum senti-
mus, qui nos ad bonum animat, vel a ma-
lo avocat; est is inspiratio ab ipso nobis
suggerita, est consilium ad salutem nostram
ab ipso nobis datum: & ipsum negligimus,
imò & repellimus, ut suggestioni morem
geramus dæmonis, qui aliud non molitur,
quàm ut socios supplicij sui nos faciat, dum
nos rebellionis suæ complices reddit? cuj-
nam majorem inferimus injuriam? S. An-
gelo tutelari, an nobis? annon metuimus,
ne ad summendam de nobis vindictam
diaboli nos potestati relinquat, quem ipsi
præhabemus?

*Veniam a bono tuo Angelo pete, quod minus reve-
rentem, gratum, & summissum te haec tenus eidem
exhibueris; vitamque tuam emendare statue.*

Observa eum, & audi vocem ejus, nec
contempnendum putes, quia non dimittet
cùm peccaveris. Exodi 23. 21.

A 4

A'

8 Considerationes Christianæ.

October.

Angelo tuo reverentiam habet; tu ne audies illo praesente, quod vidente me non auderes. Bern. Serm. in Psal. qui habitat.

DIES III.

De Salutis Desiderio.

I.

Adsalutem æternam consequendam fervore opus est, plusque facere nos oportet, quam facere obligemur. Qui præstare plus non vult, quam id duntaxat, quod præcisè ad salutem obtinendam præstare debet, nunquam præstabit torum id, quod debet. Qui Dei solummodo præcepta servare cupit, ea non servabit. Cujus consilia ulterius non tendunt, quam ut peccata mortifera viter, de vitijs levioribus vitañdis parùm sollicitus, brevi in peccatum mortiferum labetur. Et qui non volet ullum opus gratuitum facere, nunquam ea faciet, ad quæ facienda obligatur. Sunt rerum concursus, in quibus consilia migrant in præcepta, ut proin plura præstare nos oporteat, quam teneamur, si habiles evadere velimus ad ea facienda, quæ debemus. Hæc omnia in speculatione paradoxa, sed in praxi verissima sunt.

II. Si